Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

mus, leprosos mundavi, demonia ex obsessis corporibus
eicimus, virtutesque plurimas operamur. Tu si credideris
predictorum signorum potentiam consequeris, et eterne vite gau
dia in eternum possidebis. Auditis ergo sermonibus beati
Romuli Adrianus dixit. Vere cognosco quod angelus domini per
os tuum loquatur. Nec mora, Adrianus ydola deserens
pedibusque Romuli advolvitur, rogabat ut eum sacri baptis
matis unda perfunderet. Et instruens eum beatus Romulus
omnem fidei regulam baptizavit eum cum uxore et filiis
omnique domo sua. Ipsa vero die multi per predicationem eius
crediderunt in dominum Ihesum Christum. Erat quidam iuvenis
in eadem civitate nomine Celsus, qui a demonio vexa
batur. Audiens autem hoc beatus Romulus venit ad do
mum eius, patremque et matrem eius omnesque vicinos invenit
flentes. Videns ergo eum acerrime vexari dixit ad illos.
Quid vultis? Si credideritis in dominum Ihesum Christum, fletus
vester in vocem leticie et exultationis cito mutabitur. Tunc
accedentes pater et mater iuvenis, genibusque beati Romu
li inherentes, rogabant ut filium suum ab inmundo
spiritu liberaret. Omnes quidem qui aderant constanter asse
rebant in Christum se credituros, si orationibus eius puer
a demonio liberaretur. Et conversus Romulus ad socios
suos Carcianum, Crescentianum, carissimum, dulcissimum
dixit. Oremus fratres ad dominum Ihesum, ut creaturam suam quam
imagini sue voluit esse consimilem, ab inmundo spiritu
liberare dignetur, ut astantes viso hoc miraculo cre
dentes in eum superne Ierusalem faciat esse cives. Cumque ab
oratione consurrexerunt, beatus Romulus manum suam
super caput pueri ponens dixit. In nomine domini nostri Ihesu
Christi precipio tibi demon ut recedas ab homine isto.
Statimque ululatum dire vocis emittens, reliquit puerum.
Omnes vero qui aderant deum laudantes potentiam credide
runt in dominum Ihesum. Ipsa autem die baptizati sunt homines
promiscui sexus numero quasi nonaginta. Baptizatus
est autem et puer qui a demonio liberatus fuerat, et pater
et mater cum omni domo sua. Tunc beatus Romulus Carcianus
et alii ceperunt ordinare clericos per totam civitatem, et
ecclesias edificare, et baptizare credentes. Iam enim nu
merus fidelium valde augebatur. Audiens autem Repertianus
qui erat comes civitatis, quod Romulus cum sociis suis
culturam ydolorum destrueret, et ad deum suum iam pene
omnes converteret, misit nuncios qui congregarent omnes
simul, et venientes in vicum civitatis ceperunt facere
sermonem quomodo Romulum sociosque eius de civitate ex
pellerent. Missisque apparitoribus suis comes ad se ad
duci eos iussit. Cumque adducti fuissent, dixit Repertianus.
Romule vidimus te contra legem nostram facientem. Aut
diis nostris incende libamina, aut de urbe nostra cum
tuis sociis exire festina. Respondit Romulus et dixit.
Neque diis tuis offero libamina, neque oves quas michi hic
dedit dominus meis derelinquo. Tunc Repertianus ministris
suis dixit. Apprehendite fustes et vehementer latera eorum
tundite, et sic cesos extra portam eicite. Ministri autem
fecerunt quod eis imperatum fuerat, et cedentes eos

extra civitatem vix expulerunt. At vero Romulus sociique
eius civitatem egressi, orationem hanc ad dominum fuderunt
dicentes. Domine Ihesu Christe qui misisti ad me angelum tuum
qui me recto itinere perduceret ad hanc civitatem, miti
ga corda hominum infidelium, et fac eos ad te converti
qui pro hominibus mori voluisti, ut eos de eterne mortis
periculo liberares. Et manserunt extra urbem die illa.
Ut autem noctis umbra vergente sole super terram erupit,
tunc beatus Romulus cum sociis suis urbem latenter ingressus,
et in domibus fidelium latitans, semina verbi dei audi
entium cordibus infundebat. Multi vero credebant et
baptizabantur. Erat autem quedam femina in eadem civi
tate que vocabatur Vienna. Hec erat vidua ab annis
decem, et habebat unicum filium et hic moriebatur. Que
misit se ad pedes beati Romuli et dixit. Domine, est michi
unicus filius et nunc iam moritur. Rogo ut venias ad domum
meam, et pone super eum manum tuam et vivet. Veniens ergo
beatus Romulus ad domum Vienne, aspiciensque puerum
dixit. Quomodo vocatur puer iste? Respondit Vienna cum
lacrimis dicens. Nimior. Et appropinquans beatus Romulus
posuit manus suas super caput eius et dixit. Nimior in no
mine patris et filii et spiritus sancti, surge et sta super pedes tuos. Et
stans super pedes suos glorificabat deum et beatum Romulum
famulum eius. Et baptizata est Vienna cum filio, et plu
res civium cum ea, et domus eius tota. Tunc Repertiano nunci
atum est quod Romulus cum sociis suis reversus esset in
urbem, et ira repletus misit nuncios qui eos ad se de
ferrent. Cumque adducti fuissent ad Repertianum, dixit
carnificibus. Tollite eos et in carcerem recludite, colla
eorum catenis constringite, et manus fortiter alligate. Cumque
reclusi essent beatus Romulus cum sociis suis, ceperunt ym
nis et laudibus insistere, et debitas deo laudes persolvere.
Media autem nocte iuvenis quidam ad eos veniens, niveo
indutus amictu, dixit. Confortamini et nolite timere.
Et dixerunt omnes. Quis es domine? Et ille. Ego sum inquit
Ihesus Christus pro cuius nomine ista vobis supplicia sunt illata.
Non enim vos deseram. Vos vero viriliter agite et sic premium
palmam ad celestia regna preparate. Et his completis abcessit.
Statimque omnia vincula de collo et manibus eorum soluta
sunt. Illi autem magnificare et laudare ceperunt dominum
Ihesum Christum, qui passionis eorum erumpnas sublevans,
placidis monitis per temporalia tormenta ad eternam
quietem hortatus est pervenire. Completis ergo tribus diebus cum
essent sine cibo et potu, sed in orationibus et vigiliis, et
obsecrationibus, dixit Repertianus ad suos. Eamus ad carce
rem et inimicos deorum nostrorum fame et penis consump
tos foras muros proici faciamus. Cumque appropinqua
rent carceri, ecce audierunt illos psalmis et ym
nis deo laudem decantare. Tunc Repertianus iussit cu
stodes carceris ad se venire, putans eos [illegible]
alimenta illis tribuisse, et vincula exsolvisse.
Cumque presentes essent dixit. Simul vos pena inter
ficiam, quia inimicis deorum nostrorum vite solatia tribu
istis. Cumque morte illis minaretur dixerunt. Domine